



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Örigenus Tōn Eis Tas Theias Graphas Exēgētikōn Apanta Ta Ellēnisti Heuriskomena**

Cui idem præfixit Origeniana, Tripartitum opus, quo Origenis narratur vita,  
doctrina excutitur, scripta recensentur

**Origenes**

**Rothomagi, 1668**

V. Maximinus perit, succedit Gordianus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-25059**

A Et tum ad Firmilianum Caesarea Cappadociae Episcopum, summa sibi necessitudine devinctum, tota cum Firmiliano invitante eum Cappadocia, fugisse certis rationibus ad credendum ducti sumus. Cum enim probaverimus supra in Quinta Persecutionis tempora fugam hanc cadere neutquam posse, superest ut ad Sextam quae fuit Maximini, vel ad Decianam referatur. Atqui Decius biennium non explevit in Imperio, diuque etiam, dum rerum potitus est, in vinculis fuit Origenes; cum toto biennio illic apud Iulianam latuerit, ut scriptum est à Palladio. Omnino igitur in Maximini Persecutionem incidit Caesariensis iste secessus. Firmilianum quoque cum rebus ipse suis consulere (ad Ecclesiam quippe Praesides potissimum pertinebat periculum) alicubi latuisse, & cum Origene fortasse, credibile est, postquam securum ei apud Iulianam perugium assignavit. Hae abundans opibus, easque in Ecclesia commoda profundere solita, summa liberalitate hominem de Republica Christiana optime meritum complexa est; nec hospitio excepit solum, sed Bibliotheca etiam, quam instructissimam à Symmacho hereditario iure obtinebat.

III. Illic insigne Hexaplorum opus tum inchoasse Origenem existimo, maximam naturam librorum supellestem, & Interpretationum praesertim Scripturae, quas in suos usus collegisse Symmachum verisimile est, cum ipse suam adornaret. Iam primam quidem eorum descriptionem animo praeformasse, cum versaretur Alexandria, nonnullasque ad id Scripturae interpretationes collegisse & contulisse significare videtur Eusebius; quas & magnis ipsum sumptibus redemisse ait Hieronymus; Caesarea vero Cappadociae serio manum operi admovisse puto, Tyri penitus absoluisse. Ex quo intelligitur Epiphanius ratio, Tyri ea elaborata fuisse testificantis, hoc est partim Tyri, partim in iis locis, in quibus moram fecit Origenes viginti octo annorum decursu, quos Tyri actus Epiphanius falso arbitratur. Hae à nobis tractabuntur inferius. Commode vero ad eam lucubrationem referri potest quod de se dicit Origenes apud Suidam, solum esse sibi, *ἐν ἡγεσίδει* *αὐτῶν τῶν ἑξαπλόρων, καὶ ἀνεσθῆναι τὰ ἀπὸ τῶν αὐτῶν.* facile enim persuadeor successivis horis varia ipsam exemplaria simul contendisse, qui labor ad condenda Hexapla erat veluti *ἡγεσίδει*.

IV. Ambrosius interim jam supra nobis commemoratus, & Caesariensis Ecclesiae Presbyter Protocterus, flagrantem hac Persecutione comprehensi & in custodiam acti sunt. Quamvis autem ipsi per se Christi causam propugnarent viriliter, non mediocriter tamen utrumque confirmavit Origenes, misso autem libello, quo ad martyrium eos est adhortatus. Librum hunc igitur in Caesariensi latibulo scriptum fuisse merito videmur conijcere: quo vero destinatus fuerit, seu quibus in locis tori fuerint Ambrosius & Protocterus, id conjectura assequi facile non est. Sic eos alloquitur Origenes in eo, de quo quaerimus, libello: *τὸ ἄλλο ἰδίω δὲ γάρ τοι, εἰ καὶ αὐτῶν ἰσχυροὶ καὶ ἐπισημοὶ εἰσὶν οἱ ἄνθρωποι, οὐκ ἔστιν ἡμῶν ἀντιπάλαιος ἐν γερμανίᾳ.* Dicit quidem Paulus: *Si (secundum hominem) ad hostias pugnavi Ephesi: Nos autem: Si (secundum hominem) interfectus sum in Germania.* Loqui Origenem ex Ambrosij, & Protocteti persona manifestum est; nullum ipse siquidem hoc tempore discrimen adiit. Quid sit autem Germania illa, magna dijudicatio est. Addubitat Ortelius

E annon Germania sit Germanopolis, quam in Paphlagonum mediterraneis collocat Ptolemaeus; Germanopolim autem eandem esse suspicatur ac Germanicopolim Plinij, in Bithynia ad mare sitam. Falli illum tam scio, quam scio me vivere. Catena vetus Graeca in Evangelia laudat Severum Antiochenum in Opere ad Thomam Germaniam Episcopum. Hinc aliquis coniecit eam esse Germanicam quae Euphratesis urbs est Archiepiscopalis, Antiochena subdita Ecclesiae. At Germania metropolis est, Constantinopolitana Ecclesiae subiecta, ordine 68. juxta Dispositionem Leonis Philosophi quae Iuris Graecoromani collectioni Leucaniana inserta est, & ad calcem libri De officijs Constantinopoleos Georgij Codini est adtexta. In altera vero Palaologi Dispositione, qua priorem hanc excipit in eodem Codini libro, sic habetur: *ὁ γερμανίος καὶ ἐστὶν ἡ ἐν τῇ ἐπισημοτάτῃ.* Hinc apparet legendum *γερμανίος*, atque idem esse Germia ac Germaniam. Germia autem in Galatia secunda seu Salutari constituunt Notitiae veteres, & inter Archiepiscopatus *ἐν ἑλλάδι* referunt. Sed his repugnat eadem Leonis Dispositio; nam postquam Metropoles, & in ijs Germaniam recensuit, subjungit Archiepiscopatus, & inter eos Germias secundum locum assignat. Quid igitur statuam, non habeo: suum unicuique relinquo iudicium, satius ducens silere in re incerta, quam vanas & futiles conjecturas proponere. Quod si integra superesset illa Leonis *Notitia*, nec extrema sui parte fuisset mutilata, in qua unicuique Metropoli attributa Diceceses recensebantur, Germaniam situm facile cognosceremus. Atque haec haecenus.

V. Origenes in Iulianae Bibliotheca tamdiu videtur delituisse quoad vixit Maximinus. Is demum ad Aquileiam per militarem tumultum cum filio perit, anno imperij tertio:

Euseb. l. 6.  
H. B. cap. 16.  
Hieron. lib.  
1. apol. in  
Rufin. c. 9.  
Epiph. Har.  
64. c. 3. &  
De pond. &  
mens. c. 18.  
Suidas in  
Origene.

Ptolem.  
Geogr. lib.  
5. cap. 6.  
Plin. lib. 5.  
cap. 32.

Iur. Graecor.  
Tom. 1. l. 2.



quo recidunt variæ eorum sententiæ, quorum alij per biennium, per triennium alij, teste A  
*Inl. Capiti*  
*in Maxim*  
*2. b.*  
 Iulio Capitolino, Maximinum imperasse volunt. Maximino successit Gordianus. Annus  
 Christi tunc agebatur 237, Origenis 52, Romanam Ecclesiam regebat Fabianus, in lo-  
 cum Anteri successus, qui Pontianum exceperat, cum uterque in Maximini persecutione  
 tolerasset martyrium; postquam hic sexennium circiter, mensem ille admodum unum  
 suum Pontificatum tenuit.

VI. Nos illis temporibus alteram Origenis Atheniensem peregrinationem assignari  
 posse censuimus. At cum Casarea Cappadocia discederet, Nicomediam obiter adisse  
 probabile est, visendi Ambrosij causa, qui impiorum vinculis elapsus, moram in ea urbe  
 cum Marcella conjugæ ac liberis faciebat: (liberos quippe, conjugem, fratres, ac sorores  
 habuit Ambrosius: obiit autem superflite Origene, vitioque ipsi à multis datum narrat B  
*Hieronym.*  
*de scrip.*  
*Eclesia. 67.*  
 Hieronymus, quod amici senis, & pauperis moriens non sit recordatus) Hinc eruditam  
 illam ad Africanum dedit Epistolam, qua Susannæ historiam frustra ab eo impugnatam  
 confirmat, suamque ei fidem & auctoritatem asserit. Atheniensis itineris ignoratur causa:  
 illud scimus, optimis eum, quamdiu in hac urbe agitavit, exercitationibus orium suum  
 consumuisse, nam inceptos in Ezechielem Commentarios absolvit, (quod anno sexage-  
 simo factum Erasmus arbitratur ex Suida, auctore nullius pretij, qui ex Eusebij panis  
 prius Origenis elogium, in quo scriptum hoc extat, perturbate & incompote consuit)  
 & Canticum Canticorum expositionibus illustrare instituit: quarum quinque Tomos in  
 ea elaboravit sede; reliquos totidem Casarea Stratonis confecit. Circa hanc quoque tem-  
 pestatem jampridem inchoatis in Iohannem Commentariis finem imposuisse verisimile C  
 est, ut infra ostendamus. Annum tempus Atheniensi huic more tribuit Halloxius, nec con-  
 tradico; liceat modo unicumque iudicium aliud ex re capienti dissentire.

VII. Pristinam itaque sedem, Casaream Stratonis longo post tempore Origenes repe-  
 tit, atque ibi susceptum Commentariorum in Canticum opus ad exitum duxit. Falluntur  
 autem Magdeburgenses, cum aiunt scripsisse Suidam Origenem annum ætatis suæ egisse  
 sexagesimum, eum ea Commentaria exararet: tale enim quiddam apud Suidam nus-  
 quam reperias. Est apud Hieronymum venisse Firmilianum Casarea Cappadocia Epif-  
 scopum ad Origenem, per causam locorum sanctorum, ut apud eum maiorem Scripture  
 sancta compararet notitiam, eum ipsum antea in Cappadocia diu secum habuisset. At  
 Gregorius Nyssenus in Origenis disciplinam receptum fuisse narrat cum Gregorio Thau-  
 maturgo Firmilianum, Patricium Cappadocem, nondum Episcopum. Bis itaque Origeni  
 erudendum sese tradiderit Firmilianus; primum antequam Ecclesie, atque adeo Christo  
 nomen dedisset; iterum, postquam ex altero Atheniensi itinere Casaream Stratonis re-  
 versus est. Rem autem ita narrat Eusebius, ut à neutro dissentiat.

VIII. Eruditione per idem tempus & ingenio florens Beryllus Bostrenorum Episco-  
 pus in heresim lapsus est; eum Christum, antequam humano sese illigaret corpori, nihil ha-  
 buisse proprium, sed Deum divinitate paternam tantum, non propria ac sua fuisse doceret.  
 Quam heresim deinde instauravit ac propugnavit Sabellius. Episcopos adversum se com-  
 plares Beryllus nefario dogmate conceivit. Bostram illi in Synodum eorum, multisque  
 hominem velitationibus adoruntur. Id cum parum procederet, ad expugnandam ho-  
 minis perveraciam accersitus est Origenes. in ejus quippe peritia omnia sibi proclivia fore  
 sperabant omnes, & ejus consilijs acquiescebant. Frequentibus illi adversum Hæreticos  
 & Iudæos disputationibus iam ante exercitus, Beryllum summa humanitate, ac dexteritate  
 aggressus est, variisque super ejus doctrina habitis sermonibus, deprehensum tandem er-  
 rorem argumentis ita coarguit, ut eum penitus ejuraret Beryllus, seseque bonæ menti  
 restitui pateretur. Qua re ex voto confecta in Palestinam sine mora Origenes se recepit.  
 Neque sane tanti beneficij memoriam, qui fuit hominis candor, apud Origenes se recepit.  
 extabescere passus est Beryllus; sed eam sequentibus deinde annis recoluit, & scriptis ad  
 Origenem Epistolis testatus est. Hæc cum Synodi Aëdis, aliisque huius viri monumentis  
 multo post servata & doctorum lectione usurpata sunt, sed temporis demum vetustate in-  
 terdiderunt.

IX. Annus Christi 244, qui fuit Origenis 59, Gordiano sextum iam annum impe-  
 ranti feralis fuit; nam postquam eius locum per summam perfidiam invasit Philippus, vi-  
 tam ei statim pari scelere exhaustam. Sed concepta facinora poenitentia emendasse, & ad  
 Christi quoque partes transisse Historici quidam Christiani, uti mox dicturi sumus, prodi-  
 derunt. Vitæ est, tertium iam imperij eo agente annum Ecclesie Alexandrinæ administra-  
 tionem cepisset Dionysius ille, quem Alexandria Origenes præceptis olim informave-  
 rat, mortuo Heracla Origenes & ipso discipulo, postquam Alexandrinum Episcopatum per  
 multos annos tenuit. Annorum octodecim numerum desinit Eusebius in Chronico, sex-  
 decim in Historia: verum pro *in epistola*, aliqua exemplaria prætulisse *in d. 1. 1. 1.*, vel ita certe